Spera de Bal[illegible]


[illegible]

DE SPHAERA MVNDI
LIBRI TRES.

A Baltasare Manuele Bouo Valentino in gratiam studiosorum editi.

HIS accesserunt duodecim Tabulæ cœlestium domiciliorum, & earum præceptio ad elationem, atque altitudinem poli Valentiæ, qua potuimus diligentia examinatæ.

VALENTIAE,
Per Ioannem Mey Flandrum,
1553.



BALTASAR BOVVS CLARISSIMO NOBILISSIMO'QVE viro D. Ioanni Quintanæ, Ordinis Diui Iacobi, militi S. D.

LIBRVM de Sphæra mundi (clariſſime Miles) ab ſcholaſticis quotidiano cõuicio efflagitatum, imprimendum curauimus. Sed interim dum eorum animis ſatisfacere ſtudeo, quantis me calumnijs obiecerim, tuum eſto iudicium: cùm ſcribere auſus ſim de re à multis hactenus accuratè, doctè, & ſcitè ſcripta: neceſſum'que ſit, eadem ferè dicere, aut deteriora, quorum alterum ſuperuacaneum eſt, alterum cùm turpe, tum vero pernicioſum. Fateor enim de hoc argumẽti genere permul-

tos disputasse, sed plerique rem minus latinè, minusq; diligenter examinatam, posteris tradiderunt: quoniam quidem à communi Ptolemæi schola aliquantulum deuient, quod maximum nefas arbitror, à tãto viro transuersum (vt aiũt) vnguem discedere, cùm ipse in Astrologia iudicio doctissimorum hominum principatum obtineat. Alij rursus, qui tametsi tersè, & concinnè scripserint, Ptolemæumq; insequantur, breuitati tamẽ studentes potius Geographum quàm Astrologum instituere videntur. Nos autem apertè, & methodo quàm potuimus facilima, disseruimus, curauimusque vt ea esset in opusculo nostro facilitas, vt tenera quæuis ætas, huius disciplinæ capax fieri possit: nam & superflua quæque (ne dicam inepta, quæ plerisq; fastidium afferre solent) substulimus explosimusque: ijs tantũ admissis, quæ ad vniuersi machinam facere videbantur. Apposuimus etiam Sphæræ, quæ ex

materia

materia constat, fabricationem: qua neglecta, haud facile erit ad ipsius cœlestis Sphæræ cognitionem peruenire. Accipe igitur (nobilissime Ioannes) has à nobis exiguas lucubrationes, tuo nomini traditas, quò possint tuo præsidio, atque autoritate in manus scholasticorum tutò venire, maiora præstaturis, si hæ ad votum successerint. Vale, & me ama, vt soles.

Valentiæ, quarto kalendas Augusti. Anno 1553.

Petri Iacobi Steue Medici Valentini in Sphæram Baltasaris Boui Exasticon.

Qui cupit abstrusos cœli cognoscere motus,
Compagemq; simul, lucidaq; astra Poli:
Quaq; via tendant, varios ortusq;, obitusq;,
Paruulus iste liber cuncta docere potest.
Fundamenta quidem iaciens, queîs ardua quisq;
Perlustrare suo plurima Marte queat.
Magna (fatebor enim) Ptolemæi scripta fuere,
Sed docti quærunt otia magna viri.
Quæ tamen in tenui sunt hoc conclusa libello,
Lectori pandent abdita sensa pio.
Autori sed enim famam, nomenq; perenne,
Quod negat huic grandis, sæpe rudisq; liber.

Antonius Io. Vilafranca Medicus Valentinus in Sphæram Baltasaris Boui.

Cernere qui gyro vis tu palatia cœli,
Astraq; Titanis dinumerare vias:
Perlege quem nuper dederat Boui ille libellum,
Quo benè perlecto, Iupiter alter eris.

Baltasar

BALTASAR BOVVS Lectori S. D.

PRoximis hisce diebus, cùm ad lectionem Sphæræ Io. de Sacro Bosco à quibusdam (quos mihi amicitiæ necessitudo coniunxit) rogatus accederem (studiose Lector) laboremque, etsi alijs districtus negotijs, sponte su sciperem, librosque omnes, qui ad hanc rem faciebãt euoluerem: in mentem venit, in scholasticorum commoditatem quosdam commentarios in lucem edere, qui ipsius autoris loca obscura, & difficilia declararent. Dum hæc sententia animo staret, commodius multò visum est, si eâdem opera, Sphæram mundi, tum proprio Marte, tum ex multis autoribus, in vnum redigerem, quæ neque breuitate deficeret, neque prolixitate molestiam exhiberet. Huic negotio cùm operam darem, eisdem

huius opuſculi initium commonſtrare cœpi, omneſque vna voce approbantes calcar addiderunt, ita, vt ne ab inceptis deſiſtere æquum fore arbitrarer. Itaque eorum animus pro viribus ſatisfeci; non quòd huius rei laudem, atque gloriam mihi comparem (ab ipſa enim ſemper abfui, quæ cùm in omni re odioſa ſit, in rebus paruis odioſiſſima iure eſſe ſolet) ſed quò hanc diſciplinam aggredientibus, commodum, & vtilitatē afferam, quod mihi maximè eſt in votis. Omiſſa igitur longa de laudibus Aſtrologiæ oratione, quandoquidem ab omnibus probata eſt, eamque laudibus efferre, quæ vel ſolo nomine per ſe ſatis laudatur, eſſet actum agere, eius laudibus ſuperſedebimus, tantumque dicemus quædam velut proloquia, quæ ad huius diſciplinæ cognitionem facere videbuntur. Iuxta communem Aſtrologorū ſcholam, præſertim Ptolemæi in Aſtrologia, omnium iudicio facilè principis. Aſtrologia

logia in duas distribuitur partes, quarum altera Theorica, altera verò Practica dicitur, ad Theoricam spectat, cœlorum motus, astrorũ dispositiones, cæteráque eorum accidentia demonstrare, hæcque proprio nomine Astronomia appellatur. Practicæ verò munus est Solis, Lunæ, & quinque stellarũ errantium officia, & earum in hæc inferiora vires, atque potestates prænoscere, & prædicere: hanc veteres Astrologi Astrologiam nominarunt. De Astronomia perdoctè quidem disputat Ptolemæus in magna constructione, quam Almagestum vocant: vbi miro ordine res circa cœlestem compositionem, quæ vltra humani ingenij limites protenduntur, rimatus est: ob idq; diuinum opus appellatur. Astronomiæ autem disputatio de Tabulis est, cui Ecclesiæ computatio inseritur (quam nostri computũ vocant) atque instrumentorum fabricatio, vsúsque: Nempe Sphæra solida, organũ quidem præ-

cipuum, & præ cæteris nobilißimũ, tum quia instar cœli fabricatũ est, tum quia sideribus accõmodatius: Astrolabiũ, Quadrãs, & Torquetũ, quod Petrus Apianus, in hac re percelebris, in suo Astronomico Cæsareo protulit in lucem, deinde Schonerius in suis Mathematicis, etsi primus Io. ille Regius Montanus, totius Frãciæ, & Germaniæ decus, vsum & fabricationem accuratè declarauit, Cylindrus, Aequatoriũ Astronomicũ, Anulus Astronomicus, à Gẽma Phrysio diligenter examinatus, Regulæ Ptolemæi, & cætera huiusmodi: atq; ita libri omnes, qui post Ptolemæũ posteris traditi sunt, scilicet Georgij Purbachij planetarũ Theoricæ, & Io. Cremonensis Theorica, Regis Alfonsi, ac Io. Blãquini tabulæ, quibus Astrologi plurimum debent, necnon Tacuinus Perpetuus: adde etiam elegans tabularum Directoriũ, ab eodem Regio Montano perfectè elaboratũ, cæteriq; libri, quorũ elenchum

chum longum esset enumerare, ex Ptolemæi magna constructione desumpti sunt. Additur etiam huic Geographia, de qua, etsi Solinus, Pomponius Mela, Strabo, et multi alij scripsere rint, doctius tamẽ, & latius Ptolemæus. Astrologiam autẽ, alterã huius scientiæ partẽ, in libro quatuor tractatuũ, qui Quadripartitus dicitur, nobis abũdè aperuit, & periculis multis officia, potestates, viresq; stellarũ fixarũ, Solis, Lunæ, & quinque errantiũ, in hæc inferiora examinauit: hanc multi, multa falsa immiscentes, quæ Christianam religionẽ nõ sapiũt, latè amplificarũt: videlicet Albumassar, Hali Aben Rageles, Homar, Guido Bonatus, cæterique innumeri, in quatuor diuiserũt partes, in Interrogationes, Electiones, Natiuitates, Annorũ, tẽporumq; cõuersiones. Nos autẽ cũ Ptolemæo, & cũ institutore nostro Luca Gaurico astronomo et astrologo doctissimo, et acerrimi ingenij viro, in duas soliũ diuidimus: nẽpe

in Nati

in Natiuitates, & annorũ, temporumq́ue conuersiones: nam Interrogationes, & Electiones, tanquam commentitias, futiles, & à Christiana religione alienas, contemnimus, & nullius momenti esse putamus. Nobiscum etiam sentit Petrus Ciruelus vir Theologus, & Astrologus eximius, in libro de Iudicijs, cuius index est Apotelesmata Astrologiæ Christianæ, in quo docet, quid iuxta Catholicam veritatem de his omnibus sentiendum sit. Atque hæc vno verbo dicta sint de Astronomiæ ab Astrologia differentia, fortaßis alibi (si modò Deus adsit) longiori sermone dicturus. Decreuimus enim aliqua in lucem emittere, quæ maximæ huic scientiæ deditis conducant.

Vale.

DE SPHAERA MVNDI
Liber Primus.
De definitione Sphæræ.
Cap. I.

QVoniam in animo est vniuersi machinam describere, circulosq; cœlestis Sphæræ (quos astrorũ obseruatores excogitant) diligẽter inquirere: oportet ab ipsius definitione exordiri. Quandoquidem omnis de aliqua re institutio (autore Platone in Phædro) quæ ratione suscipitur, debet à definitione proficisci, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Sphæra igitur est figura corporea, vna superficie contenta, intra quam punctum est, à quo omnes lineæ ductæ ad peripheriam sunt æquales. Hæc est definitio, quam Theodosius astrorũ peritissimus, in libro (quem inscripsit, tractatio de Sphæris) tanquam aptè

rei na

rei naturam explicantem approbat (etsi Ioachimus Fortius in Astronomica Institutione aliter senserit) Punctum illud centrum Sphaeræ dicitur.

Schema definitionis Sphæræ.



Circulus, est figura plana, vnica tantùm circulari linea contenta, quam peripheriam, siue circunferentiam nominare libet. Circunferentia autem non est circulus, superficies enim (quæ à Cicerone libramentum appellatur) cum circunferentia constituit circulum: linea à circũferentia ad circũferentiã per centrum ducta, dicitur diameter, siue Axis: Diameter in figura plana, siue solida, axis verò tantũmodo in figura solida & globosa. Hanc

lineam


lineam Messala vocat Nigear, dicit enim in libro de virtute motoris. Sphæræ Nigear est linea recta, per centrum ab vtraque superficiei parte ducta, circa quam ipsa Sphæra perpetuò voluitur. Hyginus in Astronomico Poëtico eam, dimensionem appellat. Puncta autem, quæ axem terminant (quibus Sphæra continuò torquetur) vocantur Poli ἀπὸ τῶ πολεῖν. *id est vertendo, quòd circum hos cœlum vertatur. Eâdem ratione M. Manilius Senator Romanus, & Poëta clarissimus, fulgentissimumque Latinæ Astrologiæ sidus in libro primo Astronomicōn. cap. vj. Polos nominat vertices, cùm canit,*

Sunt duo quos recipit ductos à vertice vertex,
Inter se aduersi, qui cunctos ante relatos,
Seq; secant gemino coëuntes cardine mundo.

Dicuntur etiam cardines, ab his, circum quos ianuæ vertuntur, & multò proprius.

Schema

Schema Polorum.



Definitio tradita ab Euclide: quoniam ad Geometram ſpectat, liberè prætermittitur. Theodoſij autem definitio, fabricatam Sphæram docet cognoſcere, quod propriũ officium atque munus Aſtronomi eſt, quem nos inſtituendum ſuſcepimus.

De diuiſione vniuerſitatis.

Cap. II.

T*Otius vniuerſitatis machina, primo ex elementis, deinde ex octo orbibus (qui ratione aliena Sphæræ nominantur) conſtituitur. Elementa (vt Philoſophi ſentiunt) quatuor ſunt. Terra in medio omnium ſita. Aqua*

quæ

quæ maximam terræ partem ambit: quod si ita ratione physica conuincitur, profectò demiror illum, qui quartum librum Ezræ ascripsit, asserentem, aquam in septima parte terræ congregatā, quo argumēto id naturæ attribuendū putauerit, dicit enim capite sexto. Et imperasti aquis cōgregari in septima parte terræ: sex verò partes siccasti, & cōseruasti: vt ex his sint corā te ministrātia seminata à Deo, & culta. Quod ego crederē diuino oraculo confirmatum, Christianáq; veritate sancitum, nisi librum hunc apocryphum esse existimarem. Aër tertium elementum, terram, & aquam circūdat: circa aërem ignis purus, quem superficies lunæ concaua amplectitur. Sunt & aliqui, qui istud elementum in hoc situ collocatum, inficiati sunt: sed quoniam hæc inquirere non est nostri instituti, philosophis discutienda relinquamus. Hæc autem à nobis postulanda sunt, non disputanda. Vnum

hoc prætermittendũ esse non censeo, Elementa corpora esse simplicia, indiuiduaq; secundum speciem, ex quorum commistione res naturales confertè, contexteq; fiunt.

Quòd terra sit in forma globosa. Cap. III.

TErram esse rotundam experientia compertum est, & ab occasu ad ortum, & ab ortu ad occasum, id enim indicant astra, quæ oriuntur, & occidũt: nam propter terræ tumorẽ, orienti proximis prius oriũtur. Est & aliud experimentum in Lunæ defectionibus: cùm enim Lunæ defectio sit Luna eregionè Solis terra interposita, tunc vmbra terræ opposita Lunæ, & ipsi officiens, eam lumine solis priuat, sed quum talis vmbra in Luna, tempore defectionis rotunda, & globosa aspectui nostro appareat: satis apertè terrã, quæ vmbrã efficit, rotundam esse demonstrat. Marcus etiam


cus etiam Manilius hæc omnia his versibus mirificè complexus est, cùm lib. j. cap. ij. eleganter cecinit.

Te testem dat Luna sui glomerabilis orbis,
Quæ cùm mersa nigris per noctem deficis umbris,
Non omneis pariter confundis sidere gentes,
Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes,
Post medio subiecta polo quæcunq; coluntur,
Vltima ad Hesperios infectis volucris alis,
Seraq; in extremis quatiuntur gentibus æra.
Quòd si plana foret tellus, simul icta per omnes,
Deficeret pariter toto miserabilis orbe.
Sed quia per teretem deducta est terra tumorem,
His modo post illis apparet Delia terris.

Ab Austro ad Septentrionem, astra circa polum (qui contra nos est) terram globosam esse significant, cùm perpetuò nobis abscondantur: stellæ autem, quæ nobis semper apparent, illis in perpetuum delitescunt, vnde manifestum est, terram esse rotundam. Idipsum indicauit Ouidius in primo lib. Metamorph. cùm dicit:

Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomerauit in orbis.

Schema defectionis Lunæ. Schema rotũdæ terræ.





De ſitu terræ. Cap. IIII

TErram autem in medio mundo ſitam, ad vniuerſi cœli complexũ quaſi puncti inſtar, ſic perſuadent Mathematici. Vbicunq; enim quis exiſtat videt cœli medium: quod minus euenire poſſet, ſi partem aliquam verſus terra declinaret. Porrò cùm terra ſit ſummè grauis, quæuis eius pars tendit ad centrum: centrũ autem eſt punctum in medio cœli: perſpicuum eſt igitur, terram in medio vniuerſi ſitam. Quod M. Manilius perpulchrè docet libro primo. cap.j.

Quod nisi librato penderet pondere tellus,
Non ageret cursus mundi subeuntibus astris
Phœbus ad occasum, & nunquam remearet ad ortus:
Luna'ue submersos regeret per inania cursus,
Nec matutinis fulgeret Lucifer horis,
Hesperus immerso dederat, qui lumen Olympo:
Nunc quia non imo tellus deiecta profundo.
Sed medio suspensa manet, sunt peruia cuncta.

Quod terra sit punctũ, si cœlo conferatur, ratione Alfragani sic persuadetur, stellæ octaui orbis aspectui nostro apparẽt, vt punctum, multo magis terra, cùm sit minor. Omnis enim stella ante oculos proposita (eodem authore) maior est ipsa terra.


De summa totius terræ ambitus. Cap. V.

SVmma totius terræ circuitus, subductis rationibus (si Ptolemæo credimus in sua Cosmographia, cui assẽtitur Alfraganus) est, centum, & octoginta millia stadiorũ: vnicuiq; trecentũ, & sexaginta circuli partium quin-

genta stadia assignando, & si alij aliter sentiant: quamuis reuerà non possit certus numerus describi, propter impedimenta, quae passim sese offerunt. Diameter terrae iuxta Circuli, & Diametri regulam, dempta vicesima secũda parte de toto terrae ambitu, tertia pars quinquaginta septem millia, ducenta, & septuaginta tria stadia ferè continet. Hanc autem regulam Euclides Mathematicorum primus, & caeteri alij neque tradunt, neque probant: nondum enim proportio, aut commensuratio Diametri ad circulum (etsi possit dari) apud eos inuenta est: sed practici, vt Architecti, & caeteri huiusmodi artifices ea vtuntur, eò quòd error notabilis minus reperiatur. Atque eorum opinione, diametri ad circunferentiam est proportio tripla sesquiseptima. In quadrato, diameter est incommensurabilis costae: qui verò asserunt absolutè diametri ad costam non esse proportionem, non benè sentiunt

tiunt cum Mathematicis. Est enim Diameter medius in proportione inter costam, & duplum costæ.

Schema regulæ Diametri.




Quòd aqua sit in forma globosa. Cap. VI.

QVa ratione probatum est terram esse rotundam, probatur etiam aquam esse rotundam. Si quis enim in medio mari consistat, huic astra, quæ oriuntur, & occidunt in eadem magnitudine apparēt ex parte orietis, occidentis, & medij cœli, quod nō contingeret, nisi aqua foret in forma globosa. Præterea, aqua terram circundat, terra est in forma rotunda, aqua igitur erit in forma rotunda.

Hoc argumento dices cætera elementa eſse in forma rotunda. Atq; hæc de machina elementorum dixiſse ſufficiat.

Schema aquæ rotundæ.



De cœleſti Machina.
Cap. VII.

ORbes cœleſtes (quos Aſtronomi ſequũtur) octo tantũ, & non plures ex principe Ptolemæo colligi affirmamus: nempe octauum orbem, firmamentum, ſiue cœlum ſtellatum, omnium opinione, nominatum. Saturnũ, globum ſeptimum, in ſummo cœli vertice conſtitutum, qui pigro curſu, & tardis agitationibus


bus prouehit, Iouem, qui mundum, ac terras ſalutari ſemper, ac benigna mageſtate lætificat. Martem grauidum, rutiloq; ſemper horrore metuendum. Solem, mediam cœli partem poßidẽtem, ducem omnium, principemq; mentem mundi, atq; temperiẽ, qui cæterarum ſtellarum flammiferarum ignes, ſui luminis moderatione perpetuat, Venerem, & Mercurium. Solis fidos comites. Deniq; Lunam, quæ in poſtremis cœli regionibus collocatur: quorũ alius intra alium inſtar cœpæ corticum conſti tuitur de his M. Manilius lib.j. cap.ix.

Sunt alia aduerſo pugnantia ſidera mundo,
Quæ cœlum, terramq; inter volitantia pendent:
Saturni, Iouis, & Martis, Solisq; ſub illis,
Mercurius, Venerem inter agit, Lunamq; locatus

Id ipſum etiam in hoc Schemate depictum vides.

B v *Schema*

Schema cœlestis machinæ.



Horum autem orbium duo sunt motus: alter, quo vniuersum constanter, & similiter singulis diebus sine vlla cessatione circumducitur, ab oriente in occidentem translatum, orientique restitutum, super axe suo cuius extremitates Poli mundi appellantur: Vocamusque

musque motum vniuersi, quòd vniuersi orbes hac motione moueantur. Alter verò, quo cuncti orbes contra motum vniuersi torquentur, quem proprium vocant, ab occidente in orientem translati, occidentique restituti, super alio axe, cuius puncta poli signiferi dicuntur, distantque à mundi polis tribus, & viginti partibus, & minutis ferè triginta, diuersis temporibus conuersionem vnam absoluendo. Nam octauus orbis tringinta sex milibus annis. Saturnus, quoniam maximo fertur orbe, triginta annorum spatio Zodiacum circulum conficit. Iupiter verò duodecim. Mars ferè duobus annis eundem lustrat circulum, quem duo superiores. Sol vnoquoque die, partem vnam signiferi minutis interdum aliquot superantibus, interdum deficientibus, ab occasu ad ortum commeat; fitque eius annua conuersio, trecentis sexagintaquinque diebus, quarta ferè diei parte addita.

Venus (quæ


Venus (quæ cũ antegreditur ſolem Lucifer dicitur, cùm ſubſequitur autẽ Heſperus) paulò plus anno vno curſum ſuum conficit, neque vnquam à ſole quinquaginta ferè partium interuallo longius diſcedit, tum antecedens, tum ſubſequens. Mercurius ferè eodem curſu cũ Venere fertur, neque à ſole longius vnius ferè ſigni interuallo diſcedit. At Luna viginti ſeptẽ diebus, octo horis ſuum totũ conficit, & peragrat orbem. Atq; globi cœleſtes ſuis officijs ita deſtinati ſunt, vt vnus alium nunquã conturbet, iuxta illud Iob. v. Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.

De motu vniuerſi. Cap. VIII.

QVod vniuerſum ab oriente in occidẽtem circunferatur, hac ratione fulcitur: videmus quotidie ſolem ab Oriente in Occidentem circunferri, Lunã, & quinq; errantes, ſi oculatè perſpicias, nõ proprio motu, vt commemorauimus, motu igitur vniuerſi. Item ſtellæ,

quæ nobis perpetuò apparent, describunt circulos ab ortu ad occasum, vt horologium nocturnum nobis declarat: ibi enim videmus stellam horariam ab ortu ad occasum progredientem. Vniuersum igitur ab oriente in occidentem circunducitur.

Schema Horologij nocturni.




Quare orbes cœlestes perfectè rotũdos esse necessum est, secus autem multa consequerentur absurda, quibus tota philosophorum schola aduersatur, id est, locus sine corpore, & corpus sine loco.

Hinc

Hinc efficitur, vt tota vniuersitatis fabrica merito ab omnibus Sphæra mūdi nominetur.

Schemata, quibus probatur, multa consequi absurda, nisi cœli sint in forma globosa.



DE SPHAERA MVNDI liber secundus.

De circulis Sphæræ Cap. I.


VIs, & natura cœlestium circulorum linea est incorporea, quæ ita mente concipitur, vt sola longitudine censeatur, latitudinemq; habere nō possit: sed insignifero signorum capacitas latitudinem exigit quamobrē ipsius, & circuli Lactei la-

ctei latitudinẽ suis locis cõsiderabimus. Has lineas varij variè appellant. M.enim Manilius in libro Astronomicῶn: nonnunquam fila vocat, nonnunquam gyros, demptis signifero, & Lacteo. Alij segmenta, vt Cleomedes lib. j. Metheorõ, & Plinius lib. vj. cap. xxxiij. Alij orbes, vt Iulius Maternus Firmicus, solutæ orationis scriptor loculẽtissimus lib. ij. cap. j. & Virgilius. j. Georgicorũ, Cicero etiã in pluribus locis. Alij Armillas, vt Geor. Trapesuntius in versione Magnæ constructionis Ptolemæi, lib. j. cap. vj. At verò Proclus in opusculo de Sphæra, hos circulos pararellos æquidistã tes appellat. Nos autẽ cum Ptolemæo circulos Sphæræ, q̃ ex materia constat (quibus illa cœlestis explicatur) nõiamus. Qui duplices sunt: quidã maioris, ij scilicet qui vniuersum in duo media diuidũt, vel quibus idẽ cũ vniuerso est centrũ: Quidam verò minores, qui non in duo media, sed in portiones, quarum altera maior,

altera

altera minor est, Sphæram secant, vel quibus non idem cum vniuerso est centrum. Circuli maiores sunt septē, nempè Æquator, Zodiacus, Colurus æquinoctiorū Colurus solstitiorū, Meridianus, Horizon, Lacteus: sed quia sine Æquatore cæteri circuli cohærere nō possunt, ab eo exordiemur.

Schema maiorum Circulorum



De circulo

De circulo Aequatore.
Cap. II.

AEquator est circulus maior diuidēs Sphærā in duas æquas portiones à Polis mūdi æquè distātes. Dicitur Æquator, quia æquat diem nocti, & contra: hoc fit in vniuerso, Sole principium Arietis, & Libræ ingrediente: vnde M. Manilij versus lib. iij. cap. ix.

Vna dies sub vtroq; æquat sibi tempore noctem
Nam Libra, atq; Aries Autumnum, verq; figurant.

Quod nostris tēporibus quinto idus Martij aßiduè, & frequenter euenit: & si tempore sacratißimæ paßionis Christi, Seruatoris nostri idipsum octauo calendas Aprilis cō tingebat, & etiam eodem mense Decembri ingreßum Solis in Capricornum Astrologiæ organa demonstrabant: quo tempore Iesus Christus, redemptio nostra natus est. Qua de re id agatur, & in quo causa cōsistat, vno verbo explicabo. Apud solos Ægyptios anni cer-

C tus mo-

tus modus semper fuit, apud alios verò pari errore, dispariq; numero vacillabat. Arcades annũ suum tribus mensibus statuebãt. Arcananes sex, reliqui Græci trecentis quinquaginta quatuor diebus annum propriũ computabant: non mirum igitur, si in tanta varietate Romani (autore Romulo) annum suum decem mensibus constitutũ habuerint, à mense Martio inchoantes, qui trecentis, & quatuor diebus conficiebatur. Atqui iste annus, cùm neq; cursui Solis, neq; Lunæ menstruis congrueret. Numa Põpilius, quantũ sub cœlo rudi, & seculo adhuc impolito, solo ingenio magistro comprehendere potuit, vel Græcorũ obseruatione forsitan edoctus, quinquaginta dies addidit, vt in trecentos quinquaginta quatuor dies (quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit) annus extẽderetur: atq; his sex dies etiam addidit, vt in duos menses simili ratione diuideret, priorem Ianuarium nominauit. Alterum Februariũ. Paulò post vnũ idem adiecit

quem

quem Ianuario dedit: atq; ita annũ duodecim mensibus cõstituit. Verũ cùm à Solis annua cõuersione multum discrepare videretur. Iulius Cæsar tẽpore, quo imperabat imitatus Ægyptios, solos rerũ diuinarũ conscios, annum ad Solis numerũ dirigere contendit. Itaq; (autore Plinio, Suetonio, ac Apiano Alexandrino) primus omniũ annum ad Solis cursum accõmodauit, cõstituitq; trecẽtis sexaginta quinq; diebus, & sex horis, quas quarto quoq; anno dimisit addẽdas, idest mensi Februario diẽ vnũ: et hũc quartũ annũ Intercalarẽ siue Bisextilẽ nominarũt. Hanc de anno cõputando rationẽ sancta, & Catholica Ecclesia, vsq; in hodiernum diẽ obseruauit. Sed cùm Sol suo motu trecentis sexaginta quinq; diebus, horis quinq; & vndequinquaginta minutis ambitũ suum conficiat, & peragret, fit vt quadraginta quatuor minuta quilibet annus Intercalaris iniuste sibi ascribat, quod mutationis tẽporis causa est. Quare nisi huiusmodi ratio aliquan-

do corrigatur, vt Leo decimus Pōtifex Max. suo tempore faciendum censebat: futurū est olim, vt salutis nostræ natalitius dies, qui olim in brumali erat, in vernum tempus euadat, Pascha verò in æstatem. De cæteris cardinibus eadē est ratio. sed ad id, quod instituimus reuertamur. Prædictus circulus dicitur etiam æquinoctialis quasi æquidialis, quod idem est, excogitant enim Astrologi, æquatorem mediū vniuersi ambire, atq; ob id cingulus vniuersi dicitur, de quo M. Manil. lib. j. ast. cap. vj. eleganter canit.

Tertius in media mundi regione locatus,
Ingenti Sphæra totum præcingit Olympum,
Parte ab vtraq; videns mundum, quo lumine Phœbus
Componit paribus numeris noctemq;, diemq;,
Veris, & autumni currens per tempora mixta,
Cùm medium æquali distinguit limite Cœlum.

Poli mundi sunt puncta, quæ axem finiūt, omnis linea duobus finitur punctis, Poli itaq; duo sunt. Alter qui nobis perpetuò apparet: hic autem, & Arcticus, & Aquilonalis, & Septentrionalis


tentrionalis dicitur. Arcticus ab ἄρκτος, quod est vrsa: quia propè vrsam collocatur, in hanc mutatam fuisse Calisto Ouidius fabulatur. Aquilonalis, quia inde flat Aquilo. Septentrionalis, à septẽ stellis, quæ perpetuò circa Polum terere videntur. De quo M. T. Cicero. lib. ij. de natura deorum sic ait, cuius quidẽ clarissimas stellas totis noctibus cernimus.

Quas nostri septem soliti vocitare Triones.

Alter huic aduersus Antarcticus, quasi, ἀντὶ ἄρκτου id est, contra vrsam positus, à Cicerone Antaxon, id est, contra axem. Dicitur etiã ab Astrologis Meridionalis, quia meridiẽ versus situs est, Australis quòd in ea regione sit, vnde Auster spirat, is à nobis nunquam videtur, sed ab Antipodibus, quos esse perspicuũ est: de his Virgilius primo Georgicorum.

Hic vertex nobis semper sublimis, at illum:
Sub pedibus Stix atra videt, manesq; profundi.

Schema Aequatoris, & Polorum.



De Zodiaco circulo.
Cap. III.

ZOdiacus (per quem Sol, Luna, & quinq; errantes suos perennes cursus dirigunt, qui & obliqua semper agitatione torquetur) circulus maior est, qui Æquatorē in duo puncta diuidit, vtpote in principio Arietis, & Libræ, cuius alterū medium ad Septentrionem, alterum ad Austrū vergit. Dicitur Zodiacus ἀπὸ τοῦ ζωδίου: *quod est animal, quasi circulus animalium. Hic enim ab astrologis in duodecim partes æquales distribuitur, quarum vnaquæque ferè nomine animalis est insignita.*

Aristoteles


Aristoteles autem circulum obliquum nominat, cùm dicit. ij. de Ortu, & interitu, ob Solis progressionẽ in circulo obliquo, corpora gignũtur, & intereunt. Circulus hic (vt iam diximus) in duodecim æquas partes distinguitur, quæ quidem (omnium consensu) signa nominãtur: atq; ideo Latini Signiferũ vocãt, quasi signa ferentem, de quo Mar. Cicero. in versione fragmenti Arati.

Zodiacum hunc Græci vocitant, nostriq; Latini,
Orbem Signiferum; perhibebunt nomine verò,
Nam gerit hic voluens, bis sex ardentia signa.

Horum autem, primum Aries, secundum Taurus, & huic proximum Geminorum signum, quæ Ver ostendunt. Dein Cancer, Leo, quos Virgo insequitur, quorum primus Æstatem nunciat. Libra, Scorpius, & Sagitarius Autumnũ faciunt, mox Capricornus, Aquarius, Pisces, Hyemem. Hæc signa Astrologi notis compendiarijs depingunt, scilicet.

♈.♉.♊,♋.♌,♍.♎.♏.♐.♑♒♓

Schema ad quatuor anni tempora.



De quorum situ, & ordine, M. Manilius eleganter cecinit lib.j.cap.iiij.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens,
Respicit admirans aduersum surgere Taurum.
Submißo vultu Geminos, & fronte vocantem.
Quos sequitur Cancer, Cancrũ Leo, Virgo Leonem.
Aequato tum Libra die, cùm tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion astro,
In cuius caudam contentum dirigit arcum,
Mixtus equo volucrem, missurus iamq; sagittam,
Tum venit angusto Capricornus sidere flexus,

Post hunc


Post hunc inflexam defundit Aquarius vrnam
Piscibus assuetas auidè subeuntibus vndas,
Quos Aries tangit claudentes vltima signa.

Signum deinde in tricenas portiones distribuitur, quas tum partes, tum gradus à Solis gressu nominant, quòd gradum ferè vnum Signiferi quotidie decurrat, quin etiã gradus in sexagena minuta, quæ in secũda, tertia, quarta diuiditur: atq; deinceps quantumlibet sexagena continuata sectione: totus ergo circuitus trecentum, & sexaginta partes continet, Semicirculus centũ, & octoginta, eius quadrans nonaginta. Signiferum circulum quidã in nono orbe fingunt, & quidem à Ptolemæi schola maximè aberrãt (ab ea nanq; octo orbes, & non plures colligi possumus) in octauo tamen stellis fixis depictũ, & reuera collocatũ asserimus, cuius latitudo ex duodecim partibus cõstat, quam Saturnus perpetuò illustrat, quod idem faciunt Luna, & cæteræ errãtes. Ita fit, vt signiferi signum quadrangulum, &

non quadratum esse dicatur. Signiferi latitudinem quædam linea ficta in duo media æqualia distinguit (quam Eclypticam vocant) quoniam cùm suum progressum in eadem Eclyptica pariter Sol, & Luna quandoq; conficiant, alterius eorum necesse est defectionem contingere: Solis, si ei tunc Luna succedat, Lunæ, si tunc sit Soli aduersa. Ita fit, vt Sol nisi tricesimo die progressus Lunæ nunquam deficiat, & Luna nisi quintodecimo die sui progressus nesciat defectionem: in defectione igitur Sol nil patitur, sed noster priuatur aspectus, Luna verò circa propriam defectionem laborat, non accipiendo lumen à Sole, cuius beneficio præest nocti. Alio vocabulo via Solis appellatur, quandoquidem Sol eam describit, & ab ea nũquam aberrat, sed per eam perpetuò decurrit. Stellarũ latitudinem metimur ab Eclyptica, declinationem verò ab Æquinoctiali.

Schema

Schema Circuli Zodiaci.




Cùm enim stellas, quæ errare dicuntur, in signo esse ex tabulis accipimus, sub signo esse comprehendimus, atqui stellas octaui orbis cùm in signo esse discimus, iuxta signũ intelligere oportet: fingũt enim Astrologi sex circulos per signorũ initia ductos Signiferi Polos secãtes, qui duodecim signa distinguunt, in ipsis

ipsis signis lata, & iuxta Polos angusta: veluti signis peponem in duodecim partes æquales resecaret. Ita relinquitur, vt quæuis stella extra signiferi spatia, quantũuis procul sita in signo esse dicatur: & quia vnumquodq; signũ ex partibus tricenis constat, eodem etiam modo illa pars, cuius in angustũ lineæ ducũtur: vt quæuis stella, cuius arcus signiferi partem occupet, possit facile percipi.

Schema, quod demõstrat stellam errantẽ esse in signo.



Schema, quod demõstrat stellas fixas esse in signo.




De circu-

De circulis Coluris.
Cap. IIII.

Coluri, duo ſunt circuli maiores, eò quòd Sphæram in duas æquales portiones diuidant, conſtitutiq; ad fabricationem Sphæræ (quæ ex materia conſtat) ſuſtinendam: hi autem ſecant ſeſe ad mundi Polos, quorum proprium officium eſt, Æquatoris, & ſigniferi quartas ad puncta æquinoctia, & ſolſtitia diſtinguere, ideoq; Coluri quaſi reſecti, & imminuti appellantur: quamuis quidam denominationẽ eorũ inde duci exiſtimarũt, quod ſupra finientem tantùm apparerent, quædam de nomine ridicula ſomniantes. Colurus diuidens ſolſtitia per Polos Signiferi ducitur: cuius arcus, ab Æquatore ad punctum ſolſtitium, dicitur maxima Solis declinatio: quæ tempore Ptolemæi erat trium, & viginti partium, & quinquaginta vnius minutorũ: noſtris tamen temporibus, trium, & viginti partium cum di

midia ferè esse creditur. Quam si pernoscere volueris: cũ Astrolabio seu quouis alio instrumento, tempore solstitij æstiui solis elatio nem, atq; altitudinem in meridie obserua, quæ totius anni maxima est. Porrò autẽ elationem eiusdem, tẽpore solstitij brumalis etiã in meridie animaduerte, quæ omnium minima est, deducq; numerum minorem à maiori, & deducti numeri medium erit maxima solis declinatio: ad quam cognoscendam antiqui, & recensiores hac in industria vsi sunt.

Schema vtriusque Coluri.



De Meridiano, & Horizonte. Cap. V.

MEridianus, & Horizon certũ locum habere nõ possunt, sed pro diuersitate habitantiũ, & circunspicientiũ variãtur. Sunt tamen nõ parui momẽti, aut mediocris commoditatis Astronomis, Astrologis, & Geographis. Meridianus igitur circulus est maior per mundi polos, & per verticẽ (qui zenit à veteribus nominatur) circũducitur, cuius proprium munus est, Sole ad eum accedente, diei mediũ præfinire: & propterea Meridianus appellatur: de quo M. Manilius lib. j. cap. viij.

Et paribus spatijs occasus cernit, & ortus.


Quoniam quidẽ globositas terræ habitationes omnium non suffert esse æquales, neq; eadem pars cœli omniũ verticẽ despicit, ideo vnus omnibus Meridianus esse nõ poterit, sed singulis singulos esse necesse est. Binæ nanq; habitationes, quarum vna orienti propinquior, ac citerior est altera, peculiares, & diuersos

habent

habent meridianos: interuallum ex his interceptum, dicitur longitudo ciuitatum: ita fit, vt longitudo ab ortu ad occasum, aut ab occasu ad ortum, latitudo verò ab Æquatore ad verticem, aut, à finiente ad Polum ab omnibus dicta sit. etsi Aristoteles (bona venia dixerim) secundo de Cœlo cap. ij. contrariæ sit sentētiæ. Lineæ Meridianæ vulgarem inuentionem sic accipe: describe circulum in superficie plana, in cuius centro sit stylus, ad angulos rectos erectus, magnitudinis aliquantulum minoris semi diametri circuli. Deinde ante meridiem Sole radiāte, cum styli vmbra circulū ingrediatur, obserua, notaq; circuli ambitū: quo peracto interuallū in duo media distribue, æquantem lineā per centrum ductā meridianam vocabis: cum autē styli vmbra eam attigerit quouis anni tempore erit meridies. Sunt aliæ rationes inuestigandi huiusmodi lineā, quas docet Petrus Apianus in libro cu-

bro, cuius index est Cosmographia, hāc tamē vt breuiorem, & faciliorem elegimus, qua inuenta facilè tibi depinges Solariū quo cœlo sereno diei artificiosi horas pernoscere poßis.

Schema Solarij.



lege Sic praescriptu est in fine libri ubi ...

Horizon circulus maior est, qui medium cœlum apparens ab occulto diuidit, à Græcis ὁρίζων *idest Finiens, definit enim aspectum no-*

 strum ad


ſtrum ad cœli medium, propriumq́; ipſius, quod ſuper terram eſt, finem facit, etſi humana acies ad ipſum verè terminũ non poßit peruenire, quantumuis oculos circunferendo conſpiciat, de quo Marcus Manilius lib. j. cap. viij.

Et mundum plano præcinxit limite gyrus,
Atq; trahens à ſe titulum memorator Horizon.


Et eſt duplex, alter rectus, alter verò obliquus. Quibus habitatio eſt ſub Æquatore, illis eſt Horizon rectus, ſiue Sphæra recta, quod perinde eſt: ijs autẽ vterq; polorum neq; extollitur neque deprimitur, diuiditq́; Æquatorem ad angulos rectos Sphæræ. Verùm quibus habitatio eſt vltra, citraúe Æquatorem, illis eſt Sphæra obliqua, ſiue Horizon obliquus: ijs autem, alter polus erigitur, & apparet: alter vero deprimitur, & occultatur, diuiditq́; Æquatorẽ ad angulos obliquos, & impares, ad acutos ſcilicet, & obtuſos: vertex nanq;

nanq; polus est Finientis. Hinc efficitur, vt quantum est poli à Finiente interuallum, tantundem est verticis ab Æquatore: quòd in coluro Solstitia diuidente ratione facili comprehenditur. Quadrans circuli Coluri ab Æquatore ad mundi polum, æquatur cùm quadrante Finientis ad verticē, quod necessario fit, cùm sint quadrantes eiusdem circuli: sed si ab æqualibus æqualia demas, aut eisdē commune, id est, interuallum à vertice ad polum, quæ restant, sunt æqualia, id est, arcus ab Æquatore ad verticem æquabitur cū arcu Finientis ad mundi polum.

Schema Sphæræ rectæ.



Schema Finientis obliqui.



Arcus a Finiente ad polum mundi. d. e.
Arcus ab Aequatore ad verticem. a. b.
Quadrans ab Aequatore ad mundi polū. a. e.
Quadrans a Finiente ad verticem. d. b.

Est & alius circulus maior splēdidißimo candore nitens supra Signiferum, Æquatorem, & tropicos obliquè constitutus: constat tamen ex tenui, & nebulosa vi, & natura, incertam habens latitudinē, quoniam partim latus, partim angustus sereno cœlo nobis conspicuus

ſpicuus eſt: is à Ptolemæo libro. viij. cap. ij. magnæ constructionis Lacteus nominatur, quaſi colorem lactis retinens.

De circulis minoribus Cap. VI.

SVnt etiam in Sphæra quatuor circuli minores, ideſt tropicus Cancri, tropicus Capricorni, circulus Arcticus, & circulus Antarcticus: Ij autem Sphærā diuidunt in duas portiones, quarum altera maior, altera minor eſt. Tropicus Cancri, circulus eſt ad motum vniuerſi Sole ad primam eius partem accedente, deſcriptus: diciturq; Solſtitiū æſtiuū, quoniam tunc fit Solis ſtatio, non quòd ſtet, cui continuus eſt motus: ſed ſtat in eo, quod ad nos vltra non accedit, conuertitq; ſe ad mediū cœlum nobis abſconditum, quòd quidē in æſtate contingit. Tropicus ſuum nomen ſortitur.

ἀπὸ τοῦ τρέπειν, quod est conuersio, propter quod Tropicus æstiuus nominatur, de quo Mar. Manilius. lib. j. cap. vj.

Alter ad extremi decurrens sydera Cancri
In quo consumit Phœbus, lucemq́;, moramq́;,
Tardaq́; per longos circunfert lumina flexus,
Aestiuum medio nomen sibi sumit ab æstu.

Consimili rationi, Tropicus brumalis, aut Hyemalis dicitur, describit enim Sol motu vniuersi solstitium hyemale, quoniã Sol cùm primum salutauerit Capricornum, in eo stat quod incipit se ad nos conuertere, hoc autem in hyeme fit, de quo idem Manil. lib. j. cap. vj.

Proximus hunc vltra Brumalis nomine cingens:
Vltima designat fulgentia lumina Solis.


Horum circulorũ interuallum ab Æquatore, est maxima Solis declinatio, quam (vt sæpe diximus) est triũ, & viginti partiũ, &

triginta

triginta ferè minutorum. Circulus Arcticus est circulus minor, qui à Zodiaci Polis motu vniuersi describitur, diciturque Arcticus, quoniam ambit polum Arcticum, vel quia à polo Signiferi Arctico describitur. Circulus Antarcticus etiã est minor, diciturq; Antarcticus contra Arcticum positus. Ex his efficitur idem esse interuallum maximè declinationis Solis, & Poli Signiferi ad mundi Polum, quod perspicuum est ratione superius dicta: de his meminit etiam Manilius. lib. j. cap. vj. cum dicit.

Circulus ad Boream fulgentem sustinet Arcton,
Sex que fugit solidas à cœli vertice parteis:
Vnus ab his superest extremo proximus axi,
Circulus, Austrinas qui stringit, & obsidet Arctos,
Hic quoq; Brumalem per parteis quinq; reliquit,
Et quantum à nostro sublimis cardine gyrus
Distat ab aduerso, tantundem proximus illi.

Schema minorum circulorum.



De Zonis. Cap. VII.

Quatuor circuli, duo tropici, & Circulus Arcticus, & circulus Antarcticus cœlũ in quinq; zonas distinguunt. Zona est portio cœli inter duos Circulos minores intercepta. Æquator Zonam non constituit, sed mediam diuidit, scilicet torridam: eádem etiam proportione quinq; Zonæ terram secant, quæ cœli


Zonis subijciũtur, & has Cicero cingulos appellat. Id nemo exquisitius, neque doctius, neque paucioribus verbis descripsit, atq; Ouidius, is enim veterum Geographorum sententiam secutus est lib. j. Metamorph. cùm dicit.

Vtq; duo dextra cœlum, totidemq; sinistra.
Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis,
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemq; plagæ tellure premuntur:
Quarum, quæ media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas: totidem inter vtranq; locauit,
Temperiemq; dedit mixta cùm frigore flamma.

Quarũ, etsi Ouidius, alijq; quasdam incognitas, & inhabitabiles esse existimarũt: nostra ætate, omnes multorũ solertia, pertinacique labore perquisitæ, habitabiles, peruiæque factæ sunt. Atq; hæ regiones illæ sunt, quæ glaciales nominantur. Harũ itaq; interuallum si non es vsq; adeò ingenio hebes facilè ex prædictis deprehendes.

D v Schema

Schema quinque Zonarum.



Sed ne quid intactum relinquatur, vt sit abundè satisfactū huic toti Circulorū quęstioni, scias velim, circulos omnes, tum maiores, tum minores in trecentas, & sexaginta partes diuidi, quas antiqui gradus appellant.

De fabri-

De fabricatione Sphæræ.
Cap. VIII.


SI quis perfectam fabricationem Sphæræ, quæ ex materia constat, scire desiderat: construat duos Circulos, quos Coluros appellabis, sic ritè rotundos, ad angulos rectos Sphæræ sese intersecātes, aptetq; axem, cuius extrema dicantur poli: tum etiam Æquatorem in medio situm ab vtroq; polo æquè distantem: præterea duos tropicos ab Æquatore tribus, & viginti partibus cum dimidia ferè distantes, quæ maxima Solis declinatio est: Quid quod circulum Arcticum, & circulum Antarcticum trium, & quadraginta partium interuallo à circulis tropicis ductos. Aptet etiam Signiferum, ita obliquè collocatum, vt linea Ecliptica, aut via Solis per Æquatorē, & per circulos tropicos circūferatur, attingatq; ipsos coluros. Ad hæc frabricetur ligneus pes ab artifice cōformatus, in cuius parte extrema tres,

tres, vel quatuor circuli quadrantes sint affixi quibus Finientem affixum, ac planum collocare operæprecium erit. Sphæræ in hunc modum constructæ appone Circulū Meridianum integrum, affigeq; ipsi Finiēti & pedi Finientis, vt in hoc Schemate videre facilè erit.

Nec tibi admirationi erit, si Sphæræ fabricationem apposuimus: vidimus enim hactenus librum de Sphæra mundi Valentiæ interpretari quibusdam ridiculis Sphæris, quæ quidem quamuis globum illum superiorem referant, id est, circulorum constructionem. Situm tamē nullo modo explicant. Certò scio huiusmodi fabricationem minus fuisse animaduersam, quæ si animaduersa? quare obsecro neglecta? cùm circulos omnes Globi cœlestis, ac cuiusuis habitationis sitū facilè demonstret? Quare hanc amplectere, si eorum perfectam cognitionem habere exoptas.

Schema

Schema fabricationis Sphæræ quæ ex materia constat.



De Sche-

De ortu, & occasu signorum.
Cap. I.

